

Sigfried Neumeister Jacobus Boltenius

Exercitationum Ethicarum Privatarum, agnisma Undecimum De Continentia Et Tolerantia

Rostochii: Reusnerus, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729073122>

Druck Freier  Zugang



J. Neumeister.
R. U. phil. 1607.

—|—
ca

LVII

EXERCITATIONVM ETHICA-
RVM PRIVATARVM,

αὐτονομία

UNDECIMUM,

DE

CONTI-
NENTIA ET
TOLERAN-
TIA,

DE QVIBVS

DEO TER OPT. MAX. AVXILIANTE,

In almâ Rosarum Academiâ,

Consensu Superiorum,

Sub praesidio

M. SIGEFRIIDI NEUMEISTERI

Reichenbachii Varisci, S.S. Theol. Stud.

ad 15. Calend. Aprilis

Horâ locoq. consueto,

Respondere conabitur

JACOBUS BOLTENIUS

Rostochiensis.

MENANDER.

Ἐπεὶ δὲ περὶ πάντων ἡμῶν καθεύειν

Pralo Reusneriano, Anno 1607.

LVII



MAGNIFICO, SPECTABILI,
REVERENDIS, PIETATIS, ET VERAE
religionis Zelo, virtutum gravitate, doctrinaq, decore,
viris ROSTOCHII clarissimis &
præstantissimis,

Dn. VALENTINO SCHACHTIO, SS,
Theol. Doctore & Professore publico, & ad D. Iacobum
pastori fidelissimo, nec non pro tempore
Academiae inclytæ ibidem RECTORI,

Dn. EILHARDO LVBINO, itidem SS.
Theol. Doctore & Professore & pro tempore
Facultatis Theologicae DECANO,

Dn. M. IOACHIMO WESTPHALO,
verbi divini ad D. Iacobum ministro
vigilantissimo:

NEC NON

Integerrimis omniumq, virtutum genere conspicuis
viris,

Dn. IOHANNI BRVMMIO, propatri
meo suavissimo,

Dn. CONRADO FORSTENOVIO,
civibus ibidem primarijs,


Domini præceptoribus, patronis, Meccenatibus &
fautoribus meis maximè colendis,

hæc, de Continentia & Tolerantia
ἀγαθισμα,

dico, confectro, offero,

Iacobus Boltenius Rostoch. Resp.






EXERCITATIONIS VNDECIMÆ,

De residuis Semivirtutibus,

POSITIO PRIMA:

 Sse quasdam dispositiones & laudabiles affectiones, quæ Semivirtutes vulgò appellari solent, præcedenti *ἔξαρτοει* dictum est, quarum nimirum alia sunt naturales alia acquisite. De naturalibus actum fuit. Acquisitarum alia ad utrumque sensus appetum pertinere diximus, qualis est obedientia, & de illa etiam actum fuit: Alia verò ad alterutrum vel irascibilem ut tolerantia: vel concupiscibilem solum ut continentia, pertinent, de quibus hoc actu dicemus.

2. Vtriusq; consideratio ferè est eadem, Quicquid enim de continentia in suo subjecto, quod est facultas concupiscibilis, dicitur, illud etiam de tolerantia in facultate irascibili intelligi potest, ita tamen ut sua cuiq; maneat natura, & utraq; intra suos limites & terminos contineatur. Nemini igitur, speramus, imperfectum videbitur, si interdum alterà omisâ, de alterà tantum agemus.

3. Dubitant nonnulli utrum sit aliqua tolerantia & continentia? Socrates enim, referente Arist. lib. 7. Eth. Nic. cap. 3. sect. 4. ex Platonis Protagorâ quasi nulla sit incontinentia, prorsus eorum rationibus, qui aliquam esse dicerent, obstitebat. Putabat enim neminem, qui de rebus rectè iudicaret, quicquam aliud, quam quod sit optimum, agere posse, vel si aliter agat, per ignorantiam agere.

4. Et videtur sanè Socrates utrumq; non absq; ratione dixisse: Quamvis enim & ipsa voluptas quam Incontinens sequitur, est bonum quiddam, Tamen ad summum relata bonum, est admodum leve bonum. Minus autem bonum quando cum majore confertur locum mali obtinet. Si igitur aliquis esset incontinens, necesse esset ut volens bono majore relicto, minus eligeret. Quia autem absurdum esset statuere, hominem ratione uti volentem, scientem & volentem minus bonum, (id est, malum in collatione cum majore) eligere, cum majus habere possit, sequetur vel prorsus ne-

minem esse incontinentem, & proinde nullam incontinentiam, atq; sic etiam ex naturâ contrariorum, nullam esse continentiam (τῶν γὰρ ἐναντιῶν εἰ ἴα τερον φύσει, ἀνέγκη καὶ ἴα τερον εἶναι φύσει, & sic è contrâ, Arist. lib. 2. de cælo cap. 3. cont. 18.) : Vel si aliqua sit, esse eam ex ignorantia, quæ vitio nemini verti potest.

5. Si autem homo ratione uti non valeat, ita ut sciens & volens in voluptate peccet, ille jam non incontinens sed intemperans erit, atq; ita incontinentia ab intemperantia non differet.

6. Verum, quod non sit absurdum aliquos esse incontinentes vel ex ipsius experientia testimonio constat, videmus enim multos qui sciunt & intelligant meliora probentq;, tamen affectibus superati agant id quod deterius esse sciunt & intelligunt. Experientia autem & sensui rationibus velle repugnare, sophisticum est. Ideoq; Diogenes Zenonem rationibus negantem esse aliquem motum, non aliter refutabat, quam surgendo & obambulando, Et sapiens ille dicebat, in ignem esse conjiciendum eum, qui negaret ignem urere, ut reipsâ experiretur.

7. Deinde verò quod incontinens dicatur per ignorantiam agere, id partim approbamus, partim negamus. Et proinde ad hujus quæstionis enodationem sequentes sunt observandæ distinctiones.

8. I. Temporum in eo qui incontinens est. Antequam enim (1.) incontinens agit, sciens adhuc est & agnoscit se malè facturum esse si pergat, (2.) In ipso actû prorsus videtur ignorans, quandoquidem perurbatione victus & excæcatus, quid faciendum omittendumvè sit non videt, (3.) Post peractam autem rem turpem, denud ad se revertitur, & agnoscens se turpius fecisse, sciens redditur.

9. II. Sciendum est quotupliciter vocabulum scientiæ sumatur. Interdum enim sumitur pro habitu quo quis rectè utitur: interdum pro eo quo quis non rectè utitur, vel omnino non utitur.

10. III. Et quidem ipso hoc posteriori modo bifariam usurpatur. Vno modo, cum scientia tenetur animo comprehensa, verum non exercetur, nec adhibetur alicui actioni, veluti cum quis peritus Grammatices, nihil Grammaticum loquitur & facit: Alio modo cum scientia animo quidem tenetur, sed sic affectus est is qui tenet, ut etiamsi velit, non possit eam ad usum adhibere, cujus rei quatuor potissimum causæ afferri possunt: vel enim fit propter vehementiores affectus, odium, amorem, iram &c. vel propter corporis vim quandam internam, ut morbum, somnum, ebrietatem &c. vel propter

propter externam quandam vim, ut coactionem: vel deniq; propter naturale diffidium rationis & appetitus, ratione hoc vel illud suadente, appetitu autem repugnante, ita ut in continens in diversas rapiatur partes & quod pejus est eligit, ut ait Medea apud

Ovid. — video meliora proboq; — Deteriora sequor —

11. IV. Ignoranda non est distinctio τῶν ἀποτόσεων quæ sub scientiam, tanquam objectum cadunt. Alia enim est ἀποτοσις universalis: alia particularis. Quamvis autem fieri possit, ut aliquis utramq; sciat, alterutrâ tamen non utatur. E. g. Novit aliquis incontinens universale hoc, scortandum non esse, ac proinde etiam sibi non esse scortandum. Verum quando ad pugnam affectionum & rationis ventum est, negligit posteriorem ἀποτοσιν, & non existimat sibi non esse scortandum, atq; ita in locum posterioris hujus propositionis, minoris loco ponenda, subsumit per occupationem, veram quidem esse majorem, interim tamen, cum formosâ decumbere muliere, maximam esse voluptatem.

12. His igitur præsuppositis prosyllogismorum conclusiones aliquot ponimus. I. Incontinentem non esse ignorantem prorsus, quamvis enim in ipso actu perturbationibus excacetur: Tamen ante factum cognoscit se malè facere, post factum autem se malè fecisse agnoscit, dum eum maximum excipit facti poenitere.

13. II. Scientiâ quâ quis rectè utitur in incontinète negamus, sed ita ut affirmemus, ejusmodi scientiâ quâ quis nō rectè utatur in eodem esse posse.

14. III. Ac proinde, quamvis incontinentes scientiam habeant, tamen impediri perturbationibus eâ uti non possunt. Et quamvis esse possint, qui in ipso actu agnoscant & sciant se malè facere, attamen hoc manet, quod ea licet utantur, non tamen rectè utantur, & similes sunt histrionibus qui simulant & fingunt sibi gaudia & luctus, cū tamē interim neq; gaudeant neq; lugeant.

15. IV. Incontinentes in ipso facto habere propositiones universales, non autem particulares. Etsi autem verum sit propositionem universalem, particulares sub sese comprehendere, ac proinde incontinentem, si sciat universalem, etiam particularem scire necesse sit: Tamen quia universalis propositio etiam est duplex vel ἐφ' αὐτῶν, quod in seipso vertitur, seu quod consideratur sine particularibus; vel ἐπὶ τῶν πρᾶγματῶν, quod unâ cum particularibus consideratur: fieri potest, ut in incontinete propositio universalis ἐφ' αὐτῶν locum habeat, non autem τὸ καθόλου τῶν πρᾶγματῶν.

16. Ex his inferimus igitur, non esse absurdum, Incontinentes esse scientes; Et quia hoc, nihil impedire quod minus dentur incontinentes, & pro-

inde etiam continentes. Et si hoc, etiam continentiam & incontinentiam.

17. Definitur itaq; Continentia quod sit dispositio virtutis sequens rationem rectam, qua homo in voluptatibus ex cibo, potu, Venere &c. capessendis se abstinere, quamvis illud fiat cum laetitia, repugnante nimirum cupiditate.

18. Ex quo apparet continentem esse eum ὅς εἰδώς ὅτι Φαῦλα, αἰ ὀπίσθηται, ἐκ ἀκολούθει Ἀγὸς τὸν λόγον. Incontinentem autem esse eum, qui dum quæ mala sunt, mala quidem esse novit, sed agit tamen illa, victus ac debilitatus à voluptatis objectâ specie.

19. Visa fuit continentia aliis per constantiam optimè defini posse, Et ratio est, Quia continens constans est & perseverans in opinione ejus quod bonum est, multum licet refragante appetitu. Incontinens igitur videtur esse talis inconstans, & incontinentia talis inconstantia.

20. Verum 1. Quia constantia interdum mala esse potest, hærens nimirum in malo proposito, etiâ continētia nō simpliciter constantia esse poterit.

21. 2. Si continentia esset constantia, & incontinentia idem quod à proposito dimoveri, sequeretur incontinentiam cum imprudentia junctam interdum esse bonam & laudabilem & virtuti similem. Et ratio est. Evenit enim interdum, ut incontinens (qui semper contraria facit eis quæ bona existimat), ea quæ bona sunt, per ignorantiam mala existimans, & proinde non esse facienda, appetitu tamen urgente, eadem ipsa faciat. E. g. Iratus amicum quendam cum quo in disidium venit, bile victus insequens, offendit alium quendam, qui urbi incendium parat, eumq; alterius loco in quem iratus est, interficit, Atq; sic non modo malum quod in animo habebat, & à quo perturbatione victus, sese abstinere non poterat, omittit, sed etiam per hanc incontinentiam & imprudentiam, civitatem ab incendio liberat.

22. Putarunt aliqui continentiam esse eandem cum Temperantia, & incontinentiam eandem cum imprudentia. Verum aliter sese res habet. Cum enim temperantia sit virtus perfecta; perfecta autem virtus dicatur illa, quæ fit spontè, voluntariè, liberè, cum voluptate, absq; luctu, cum appetitu & ἐκ προαιρέσεως: In continentia autem illud minimè repertur, sequitur temperantiam & continentiam non esse eandem.

23. Continens enim quamvis ἐκ προαιρέσεως agat: Minimè tamen cum voluptate agit. Videmus n. incontinentes non sine dolore, rebus placitis abstinere, Nam

Oderunt peccare boni virtutis amore,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

24. Præterea nemo qui virtutis habitum sibi acquisivit vehementibus & improbis

improbis cupiditatibus agitur: Continens a. & vehementibus & improbis
afluat; Nullo igitur modo Continentia idem quod Temperantia esse poterit.

25. At quamvis Continentia cum Temperantia non sit eadem, ei tamen
valide est cognata. Ut enim continens, sic etiam temperans talis est, qui
nihil quod rationi sit contrarium faciat, quantum ad voluptates obiectas,
quibus inter sese conveniunt, attinet.

26. At, quia jam diximus, Continentiam esse cum difficultate & luctu
appetitus & rationis, Temperantiam autem non, dubium oritur, Num pro-
pterea Continentia sit praestantior quam Temperantia, nec ne? Non enim
est dubium, illud splendidius esse, quod majore cum difficultate junctum est.

27. Verum, dicendum est, difficultatem esse duplicem, Alteram
quidem ex parte agentis & modi agendi, Ita ut res quae agenda sit respectu
suis ipsius non quidem ita sit difficilis, sed respectu agentis sit difficilis, Atque
haec difficultas actionem non reddit splendidiorē, sed obscuriorē, cum
culpā sit in ipso agente: Alteram verò ex parte rei peragenda, quae quod
major est, eò splendidiorē facit virtutem. In hac temperantia: In illa
verò continentia locum habet.

28. Ad obiectum porro harum duarum dispositionum, Continentiae
nimirum & tolerantiae seu patientiae quod attinet, ab omnibus statuitur,
Incontinentiam & Continentiam circa voluptates, Tolerantiam
& Molliciem circa dolores versari. Virumque igitur & voluptas & dolor
hic considerandum venit.

29. Voluptas igitur secundum obiecta externa quae eam generant,
varia est. Obiecta enim vel sunt necessaria vel non necessaria.

30. Necessaria dicuntur τὰ σωματικά, id est, quae ad corporis curam
pertinent, illaque vel considerantur respectu habitus circa ea versantis, &
sunt plane eadem cum his, circa quae temperantia & intemperantia versa-
tur: vel considerantur per se quatenus ad corporis incolumitatem pertinent.

31. Atque hoc modo sunt triplicia: vel enim pertinent ad conserva-
tionem ind. vidui, & sunt ea quae gustu & olfactu percipiuntur: vel ad
conservationem speciei, quae in re Venerea consistit quae ipsa tactu percipitur:
vel utriusque inservit, quales est voluptas quae ex visu & auditu percipitur.

32. Non necessaria voluptatis obiecta sunt, quae eisi non propter cor-
poris commodum expetuntur, per se tamen expetuntur, quoniam homini
quodammodo conducere videntur. Per se autem haec expeti jam ided dici-
mus, quia bona videntur esse, quamvis bona per se non sint, sed per ac-
cidents tantum, quatenus recte, id est, ad virtutis actionem, his utamur:

Talia

Talia sunt victoria, honores, divitiæ & similia externa & fortuita bona, in quibus expetendis mediocritas datur: dantur etiam extrema vitiosa, in excessu & defectu, ut dictum est ante, & in posterum fortasse ulterius dicitur.

33. Illi igitur qui appetitui plus nimio indulgent in rebus non necessarijs, puta, appetendis divitijs, honoribus, victoria &c. non simpliciter incontinentes dicuntur, sed secundum quid, adjecta nimirum appellatione ejus rei, in qua sint incontinentes.

34. Quia enim ob quandam similitudinem inter ipsos, omnes appellantur incontinentes: tamen quia hac in parte sunt dissimiles, quod alter circa gloriam, alter vero circa opes versetur, ideoq; opera precium est, distinctionem ejus rei in qua sint incontinentes, addi.

35. Simpliciter autem incontinentes illi sunt, qui in voluptatibus necessarijs, id est, ad corpus pertinentibus versantur, quemadmodum & intemperantes simpliciter dicuntur qui in hisce delinquant. Eorum autem diversa est ratio.

36. Nam intemperantes, ut ante dictum est, καὶ ἀεὶ ἀρετῆν ποιοῦντες, contracto jam improbitatis habitu delinquant; Incontinentes vero πρὸς ἀρετῆν ὀρθῶν, cum rectam rationem vehementer perturbatio obruit & antevertit. In intemperante enim recta ratio corrupta est, In incontinente vero non, sed tantum ab appetitu impedita.

37. Porro voluptatis Formam & finem quod attinet, Eatenus voluptas dicitur, quatenus jucunditate hominem perfundit, & vel animo: vel corpori: vel utriusq; simul confert. Ea autem quæ jucunditatem afferunt, & propterea ἀρετῆν videntur, vel sunt talia simpliciter, vel non simpliciter, seu media.

38. Quæ simpliciter jucunda sunt & propterea eligibilia videntur, sunt talia vel naturam suam, ut victoria, honos, divitiæ: vel sunt contra naturam, seu cum respectu, ut cades, profusio sanguinis, &c.

39. Non simpliciter eligibilia seu τὰ μετῴκητα, id est, medio modo sese habentia bona sunt externa tam corporis, quam fortuita, quæ non sunt necessaria. Robur enim, pulcritudo &c. bona talia sunt, quæ supra necessaria vocavimus, & huc non pertinent. Hæc vero talia sunt, ut per se neq; expetenda neq; fugienda essent, nisi ex necessitate expeterentur, ut sunt alimentum, Venus &c. Hæc autem veluti recto usu bona: ita malo usu mala fieri possunt. Non enim penitus sunt secundum naturam, Quoniam per se non expetuntur, ut dictum est; Neq; etiam sunt contra naturam, quia rectè adhibita naturæ sunt amica.

40. Ab hac igitur consideratione bona illa que contrā naturam sunt prorsus excluduntur, pertinent enim ad cupiditates beluinas, & in hominem, quatenus homo, per se non cadunt. Qui autem illa absq; respectu & suprā modum expetit, non Incontinens saltem erit, sed immanis, de quo vitio quod viriui heroica opponitur, precedenti exercitatione diximus.

41. Cetera duo bonorum genera sive naturā sunt expetenda, sive medio sese habeant modo, qui expetit, incontinens dicitur, non quidem quia expetit, sed quia suprā modum expetit, & cupiditati repugnare non valet. Ideoq; etiam vituperatur non quidem ratione objecti, sed ratione modi.

42. Verum ut voluptates quis expetat & persequatur, causa efficiens vel naturalis est, vel præter naturam. Naturā autem jucunda sunt quadam simpliciter & absolute, qua videlicet communia sunt omnibus animalibus, & omnibus voluptatem pariunt, ut sunt in genere alimenta, & res venerea &c. Quædam verò secundum diversa animantium genera, diversimodè sunt jucunda, sic alio & quidem diverso cibo delectantur diversa animalia, Et quidem alius homo alio delectatur, alia natio alijs rebus, hæc voluptates ἀνθρώπωνται appellari possunt.

43. Præter naturam jucunda alia sunt διὰ μοχθηρίας φύσεως quæ humanā malitiam excedunt & ad maliciam beluinam proprius accedunt, & ἄνευ νόμου appellantur, Quæ malitiositas quamvis à primordio generationis insita est, naturalis tamen dici non potest, quia est præter institutum naturæ, qua per se non creat monstrum: Alia verò ut jucunda sint, fit ex morbo, atq; vel morbo animi, ob mores & attractam consuetudinem & vocantur ἐξ ἔθους: vel corporis morbo, quo temperamentum & organa corrumpuntur, ut aliquid appetant, quod appetendum non est, & vocari possunt ποτεστῆ.

44. Naturales igitur voluptates qui sequitur, non propterea statim dicitur incontinens, sed qui præter modum appetit. Neq; enim cupiditas ipsa, sed ἡσυχία causa est incontinentiæ: Non naturales autem qui sequitur, incontinens etiam non dicitur, quia quando ad beluinam accedit naturam vel etiam ex consuetudine talis erit, sub Feritatis seu beluinae immanitatis vitio comprehendetur, si vero ex morbo, Medico non Ethico sub curam tradendus erit.

45. Ex hisce igitur jam præmissis de Continentiæ & incontinentiæ objecto proprio & primario iudicium facile sumi potest, quod nimirum sint voluptates σωματικῆς seu necessariæ, & quidem qua medio modo

sunt eligibilia, & non præter naturam expetuntur. Reliquæ enim voluptates objecta sunt tantum secundaria, unde etiam continentes & incontinentes circa eas diximus esse tales non simpliciter, sed cum limitatione & adjectione ejus rei in quâ sunt continentes vel incontinentes.

46. Subjectum absolutum harum dispositionum quodnam sit, ex dictis etiam facili colligi potest, Non enim sunt iumenta & feræ. Et ratio est. Quia cui non competit pugna cum ratione, ei etiam nec continentia & patientia, quæ victoriæ sunt, competere possunt. Et cui non competunt virtutes quæ sunt termini, ei etiam non semivirtutes, quæ sunt viæ ad terminum istum competere possunt.

47. Formam quod attinet ea ex dictis etiam patet. Est enim in continentia victoriæ admodum cruenta quam recta ratio à cupiditate deportat, In tolerantia autem victoriæ quam ab irascendi facultate, quæ supra modum rebus indulgere & irasci cupiunt.

48. Quæ autem hæcenus de voluptate, continentia objecto, dicta sunt, ea facili etiam ad dolorem Tolerantiæ objectum accommodari possunt. Quotuplex enim est voluptas, totuplex etiam dolor, & circa quas voluptatis species & quandam ratione continentia circa eadem versatur, circa eas etiam Doloris species & eadem ratione tolerantia versabitur.

49. Ita tamen, quemadmodum continentia cupiditatem difficulter à rebus placitis avocatur: ita tolerantia irascibilem potentiam ad res adversas ferendas, difficulter cogit. Tolerans enim ἐν τῷ ἀντιθέειν, continens verò ἐν τῷ ἀντιθέειν occupatur.

50. Definitur igitur Tolerantia quod sit dispositio virtutis sequens rectam rationem, quâ homo dolores ex denegatione rerum jucundarum ortos aliâq; naturæ adversa perfert, quamvis illud fiat cum luctu, repugnante uimirum irascibili facultate. Quemadmodum autem Continentia aliquam cum temperantia habet cognationem: Ita hæc cum fortitudine, & veluti illa à temperantiâ differt: ita hæc à fortitudine, nimirum velut via à termino.

51. Quamvis autem Continentia propriè sit via ad temperantiam, Tolerantia ad fortitudinem: Tamen quoniam virtus omnis in dolore & voluptate latè sumtis versatur, ideoq; quedam communis fortitudo & communis temperantia in illis locum habet, propterea etiam quot sunt termini, id est, virtutum habitus: Tot etiam viæ, id est, virtutum dispositiones erunt. Et quot sunt virtutes, totidem etiam erunt continentia & tolerantia species.

52. Vtraq;

52. Vir quoque autem tam continentia quam Tolerantia, quia virtuti simili sit, ideoque in mediocritate consistet, & duo habebit extrema. Excessus igitur circa continentiam erit incontinentia, circa temperantiam vero communi *αἰσθητικῆς* nomine appellari potest: Defectus autem illic *αἰσθητικῆς* communi vocabulo efferi potest: hic vero erit mollicies.

53. Incontinentes autem duplices sunt, Alij qui temere & inconsulto versantur, atque ideo nil tale cogitantes delinquunt, quos graeci dicunt *αἰσθητικῆς*: Alij vero qui multa sibi in vitandam turpitudine promittunt, sed cum ad pugnam devenit est, parum aut nihil praestant, quos *αἰσθητικῆς* vocant.

55. Atque hi illis multo sunt deteriores, Facilius enim & quidem non insciji se vinci patiuntur ab objectis levioribus.

56. Molles etiam duplices videntur: Alij delicatuli, qui levibus succumbunt doloribus, veluti si quis ambulando pallium delapsum tollere nolit, ne sibi molestiam pariat: Alij vero Ioculares, qui laboris fugiendi gratia, congressus ocio destinatos quaerunt.

Conclusio.

Hec etiam de hisce dicta sufficiant. Iam vero restaret quidem ut de voluptate & dolore communi dispositionum & habituum virtutis objecto, juxta Aristotelis methodum ageremus, Verum quia post tractatum de amicitia hic ipse tractatus continuatur, in unum locum omnia rejiciemus, & jam rectam ad illa quae de Amicitia proponi possunt, digrediemur.

περὶ ἠθῶν.

1. Intemperans incontinente multo est deterior. Illum enim nunquam sui facti poenitet (permanet enim in electione mali): Incontinens autem post perturbationem ad se reversus, ducitur poenitentia.
2. Intemperans insanabilis, incontinens vero non immerito sanabilis ab Aristotele habetur.
3. Intemperantia similis est morbo continuo: continentia vero intercalari.
4. Intemperantiae & Incontinentiae genus quasi est immoderatio, quia in utraque modus appetendi exceditur, & recta ratio non auditur, Sed ita ut intemperantia sit habitus confirmatus, Incontinentia vero ejusdem dispositio, quae adhuc corrigi potest.
5. Animalia nonnulla quamvis sui generis naturam involuptibus expetentis excedere videantur, tactu videlicet & gustu, ut hoc modo continentiae & incontinentiae capaces videantur: Illud tamen

tamen non faciunt iudicio, sicut homines, sed quadam naturæ perversitate, sicut Lupus suâ perversâ naturâ non solum ovem devorare solet, sed etiam plures lacerare, etiam si fame non prematur.

6. Homo ad vitiositatem summam accedens gravius peccat, quàm belua feritatem exercens. Homo enim agit iudicio, Fera autem non.

7. Continens tuetur suum propositum tantum contra improbas cupiditates, Pertinax verò interdum etiam contra rectam rationem.

8. Intemperantia pejor est incontinentiâ.

9. Intemperantia non admittit pœnitentiam, quia non agnoscit se malè fecisse.

10. Incontingens neq; prudens, neque improbus simpliciter dici potest. Non prudens, quia non agit cum rectâ ratione: Non improbus, Quia communem hanc integram.

11. Temeritas magis sanabilis est quavi infirmitas.

12. Naturalis incontinentia minus extingui potest, quàm ea quæ consuetudine attracta est.

13. Incontinentia simpliciter dicta, est turpior quàm incontinentia cum limitatione seu secundum quid.

Ζητήματα πάρεργα.

Gram. 1. Virum participium genere & declinatione nomen imitans, verbi autem casum adhuc regens, juxta Ramum lib. 15. Gram. Scol. magis sit nomen quàm verbum? Neg.

Rhetor. 2. Virum loci ex quibus laudationis & vituperij argumenta in genere Demonstrativo ducuntur, sint Rhetorices, an verò magis Dialectices? Aff. post.


Dial. 3. An detur aliqua scientia propter quam demonstratio sit necessaria? Aff.

Phys. 4. Virum plures sint in homine anima? Neg.

Poët. 5. Vtrum ornatus poëticus ex solo verborum & sententiarum elegantia ducatur, an verò etiâ ex numero? Aff. post. Malè igitur illi qui neglecto numero, solis verbis & phrasibus student.

Eth. 6. Virum melius sit non esse, quàm malè esse? Neg.

Sit magna Christo gloriâ.



52. Viraq³ autem tam continentia quam Tolerantia
lis sit, ideog³ in mediocritate consistet, & duo habebit ex
tur circa continentiam erit incontinentia, circa tempera
απελειος nomine appellari potest: Defectus autem illi
muni vocabulo efferi potest: hic vero erit mollicies.

53. Incontinentes autem duplices sunt, Alij qui re
versantur, atq³ ided³ nil tale cogitantes delinquent,
μεγατερος: Alij vero qui multa sibi in vitanda turpitud
cum ad pugna devenit est, parum aut nihil praestant, qu

55. Atq³ hi illis multo sunt deteriores, Facilius e
in scij se vinci patiuntur ab objectis levioribus.

56. Molles etiam duplices videntur: Alij delicat
cumbunt doloribus, veluti si quis ambulando pallium del
ne sibi molestiam pariat: Alij vero Ioculares, qui labo
congressus ocio destinatos querunt.

Conclusio.

Hoc etiam de hisce dicta sufficiant. Iam vero re
voluptate & dolore communi dispositionum & habituum
xta Aristotelis methodum ageremus, Verum quia post
ria hic ipse tractatus continuatur, in unum locum omnia
recta ad illa quae de Amicitia proponi possunt, digredie
περισματα.

1. Intemperans incontinente multo est deter
nunquam sui facti poenitet (permanet enim in
Incontinentens autem post perturbationem ad se
poenitentia.
2. Intemperans insanabilis, incontinentens vero
nabilis ab Aristotele habetur.
3. Intemperantia similis est morbo continuo
ro intercalari.
4. Intemperantiae & Incontinentiae genus qu
ratio, quia in utraq; modus appetendi excedit
non auditur, Sed ita ut intemperantia sit habi
Incontinentia vero ejusdem dispositio, quae ad h
5. Animalia nonnulla quamvis sui generis na
tibus expetentis excedere videantur, tactu vidi
hoc modo continentiae & incontinentiae capaces

